

e) Vacationum tempore elapso [ut in complurimis servatur dioecibus] de clerici sese gerendi ratione Ordinarium, vel Seminarii Rectorem Parochus edocere tenetur. Qua in re dum prudentiae leges servat, et veritatem adeo colat, ut hi ad quos pertinet clericum apte dignoscant. In re, igitur, non passioni, sed genuinae veritati serviendum, quo tantum Ecclesiae, dioecesis, paroeciae ac ipsius clerici bonum tuetur.

f) Sacrarum ordinationum appropinquante tempore, de orationibus pro impetranda Dei Gratia ut in suam electam vineam dignos operarios mittere dignetur, populum edocere ne omittat. Ad hoc, enim, praecipue quatuor anni temporibus ecclesiasticum institutum est ieiunium, quo et priscis Ecclesiae consuetudinibus [per Tridentinum commendatis], aliquatenus satisfit. Quod vero ad maiorum sacrarum ordinationum promulgationem spectant, quae de monitis in die dominica populo renuntiandis alibi diximus<sup>1</sup>, prae oculis habeantur.

266. — Uno verbo [sit conclusionis ergo dictum] non solum ad Dominicae vineae operariorum numerum augendum se missum Pastor consideret, sed potius ad adeo secernendum lolium a tritico, ut triticum tantum servetur excolaturque, lolium vero in ignem mittatur. Qua ratione tantum pergravissima D. Gregorii querela haud locum obtinebit; *Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus*<sup>2</sup>. Multitudo talium sacerdotum, calamitas populorum, iure meritoque, monuere Veteres.

### Artculus III.

#### DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

##### § I. — De Poenitentiae sacramento in genere.

SUMMAE RERUM. — 267. Animadversiones praeviae — 268. Quae in re canones dicant — 269. Ante confessionem quae quoad se ipsum, locum ac tempus a Pastore praestanda sint — 270. In confessione, quae circa eius essentiam in poenitente praestare debeat. — 271. In sua generali ac peculiari ratione quomodo Pastor se habere possit. — 272. De sollicitationis crimine et in re canonicae normae. — 273. De lucri suspitione arcenda. — 274. De aptis suggerendis mediis. — 275. Quo pater ac doctor, quo medicus ac iudex quae a confessario curanda sint.

267. — *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio et gratia, susceptam* [ac sacro chri-

<sup>1</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Monita*.

<sup>2</sup> *Hom. in Evangel.*, I, 17.

smate roboratam] *constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso beneficio baptismi sacramentum ad peccatorum remissionem institui. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitute et demonis potestatem tradidissent, sacramentum, videlicet, poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur*<sup>1</sup>. Deus, enim, cuius misericordia exaltata est super omnia opera eius, Poenitentiae Sacramentum secundam nobis, post naufragium, exhibuit tabulam; neque iam tam nefarium et exitiale habetur piaculum, quod eodem septies et usque septuagies septies deleri non possit. Mira et vere divina dignatio, quod Pater Aeternus filium hereditatis prodigum, si ad pedes eius procidens *Pater peccavi in coelum et coram te*<sup>2</sup> confiteatur, sacerdotis ore, stola prima vestiri iubeat!

268. — In primis et ante omnia, heic quoque, canonum ac theologiae morum<sup>3</sup> principia praecedant, quae huc redeunt:

I. — Paenitentia est « sacramentum Novae Legis, quo, per juridicam absolutionem sacerdotis, homini contrito, confesso et satisfactionem spondenti, remittuntur peccata post baptismum commissa ».

II. — *Materia remota* [seu potius removenda] Paenitentiae sunt ipsa peccata poenitentis; *materia proxima*, seu « quasi materia », sunt tres actus poenitentis, videlicet, contritio, confessio et satisfactio, quae tres Poenitentiae « partes » dicuntur. — Immutata disciplina Ecclesiae, satisfactio hodie absolutionem amplius non praecedit, et levior [non publica] confitentibus poenitentia imponitur.

III. — Forma sacramenti Paenitentiae haec est: « Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » praeterquam, nisi urgeat necessitas, integra adhiberi debet formula *Rituali Romano* praescripta.

IV. — Confessio sacramentalis est [in re, vel saltem in voto] de iure divino omnibus post Baptismum in peccatum mortale prolapsis necessaria ad salutem<sup>4</sup>: de iure ecclesiastico, saltem semel in anno, tempore paschali, urget<sup>5</sup>.

V. Minister Paenitentiae est solus sacerdos, ea tamen ratione ut valida non sit absolutio, nisi in eo simul concurrant ordo presbyteralis et expedita potestas jurisdictionis<sup>6</sup>.

VI. — Sacramentum Paenitentiae per modum iudicii tractatur; nullus, ideo, sacerdos valet absolvere nisi quos sibi subditos in foro conscientiae habuerit ratione jurisdictionis, sive ordinariae, sive delegatae<sup>7</sup>; in quo diligenter cavere debet delegatus ne limites factae sibi commissionis ab Ordinario excedat.

VII. — A collatione jurisdictionis prorsus differt et absolute separabilis est approbatio<sup>8</sup>, quae definitur: iudicium authenticum seu declaratio a superiore facta

<sup>1</sup> Trid. XIV, c. 1.

<sup>2</sup> Luc. XV, 18, 21.

<sup>3</sup> D. D. cit.

<sup>4</sup> Joan. XX, 23; Math. XVIII; Trid. XIV, de Poenit. c. 6.

<sup>5</sup> Concil. Later. IX. *Omnis utriusque*

*sexus fidelis*, 12 de poenit. X, V. 38;

S. Alph. VI, 662.

<sup>6</sup> Trid. XXIII, 15.

<sup>7</sup> D'Annibale III, 318.

<sup>8</sup> S. Alph. VI, 538.



de « idoneitate » sacerdotis ad audiendas confessiones. Inde a Tridentino, necessaria est omnino haec approbatio ad validum delegatae jurisdictionis exercitium <sup>1</sup>.

VIII. — In ordine ad Poenitentiam approbatio conceditur: a) non ab Ordinario sacerdotis, <sup>2</sup> b) nec, prout olim, ab Ordinario poenitentis <sup>3</sup>, sed c) ab Ordinario loci ubi absolutio datur.

IX. — Ordinariam jurisdictionem habent: — Papa, — Major Paenitentiarius, — Legati, — Episcopi, — Vicarii capitulares, Vicarii generales, — Parochi, — Praelati regulares et Superiores religiosi, aliive quasi-episcopali auctoritate in subditos pollentes.

X. Delegatam jurisdictionem exercent omnes qui, non vi aut titulo proprii officii vel muneris, sed ex commissione [sive a jure sive ab homine] regiminis auctoritatem accipiunt.

XI. — Qui, ratione stabilis cujusdam officii, delegantur ad universalitatem causarum, extensione juris, quasi-ordinariam potestatem dicuntur habere, et in pluribus apud personas sibi, ratione delegationis, generatim commissas, ordinariae jurisdictionis jura et privilegia sortiuntur.

XII. — Supplet <sup>5</sup> Ecclesia jurisdictionem in eo qui, cum bona fide communi et titulo colorato, legitimus existimatur esse minister sacramenti Poenitentiae. — Idem dicendum in casu necessitatis, v. g. in periculo mortis.

269. — Ad ea quae in huius Sacramenti administratione a Pastore curanda sunt indigitanda gressum facimus, in quo, perspicuitati concinnitatisque inserviando, quae ante confessionem, ab his quae in ea ac post eam ab ipso servanda sunt, distinguemus. Itaque ante huius Sacramenti administrationem:

a) priusquam ad confessiones audiendas Pastor se accingat, sese armet ac praeparet meditantiuncula eius rei, quae revera tam arduum, tam supernaturale opus est, ut verbis exprimi non possit. Magna res, enimvero, confessarii munus: nam quae ipse solvit in terris, ea soluta sunt et in coelis; quae retinet, et in coelis retenta sunt <sup>6</sup>. Sed et ardua res est; etenim non de propriis tantum peccatis, sed etiam de peccatis quae pro sacro tribunali sedens, solvit retinetque, nostrarum animarum Episcopo rationem confessarius reddet; non hominis, sed Dei exercet iudicium, et quodcumque iudicaverit in eum redundabit. Infirmas, iusuper, sanare animas aggreditur Pastor, illas adiuvere, lucem habitantibus in tenebris communicare, gravissimo peccatorum onere oppressos exonerare, diaboli catenis irretitos atque ligatos solvere, denique animarum salutem [quarum causa Filius Dei de coelo descendit ac homo factus est, et Pretiosum Suum Sanguinem effudit] quaerere ac promo-

<sup>1</sup> Trid. XXIII, 15.

<sup>2</sup> S. Alph. VI, 548.

<sup>3</sup> Cfr. Suarez, XXV, II, 7.

<sup>4</sup> S. Alph. VI, 548; D'Annibale III, 319 — Cfr. Innocent XII *Cum sicut*, april.

1700; Benedict. XIV *Apostolica*, 26 juin.

1749; *Benedictus Deus*, 21 dec. 1750.

<sup>5</sup> S. Alph. VI, 573; D'Annibale III, 321.

<sup>6</sup> Cfr. *Math.* VI, 19.

vere confessarii est. Haec consideratio super misero peccatore, ad tam deplorandum statum perducto, magnam excitabit in Pastore compassionem; qua motus, moeror quem in animo suo ex peccatoris miseria conceperit, molestiam, dolores ac taedia quae in audiendis confessionibus occurrere solent [partim propter foedissima flagitia quae inibi subinde audiuntur, partim propter graves intricatos casus qui incidunt, partim propter periculum in re tanti momenti errandi, tum etiam propter ingeniorum ac morum quibuscum agitur varietatem, duritiam ac inurbanitatem, necnon ob exiguum praeparationem malamque dispositionem qua non raro ad confitendum peccatores accedunt, quae supplere ac perficere sacerdotis officium est] perferre, pro animarum bono, suadebit.

b) Hoc, igitur, auxilium a Deo instanter precibus poscat Pastor, ut opem, animum fortitudinis, prudentiae, scientiae intellectum charitatisque dona a Spiritu Sancto tribuenda impetrans, quae in poenitentibus agere debet, digne ac proficue ad bonum exitum perducere valeat. Quod opus [meminerit Pastor] etsi pium, adeo tamen arduum, ut nisi singulari gratia sua Deus assistat, nullae vires humanae, ratioque nulla ad illud recte perficiendum sufficiant. Heic quoque illud omnino verum est: *Nisi Dominus, aedificaverit domum in vanum laboraverunt qui aedificant eam* <sup>1</sup>.

c) Nec nimiam suavitatem, neque rigiditatem nimiam confessarius a priori sibi praestituat suadendus quam maxime. Cum, enim, utraque a peculiaribus poenitentium conditionibus pendeant, uno ictu, praefiniri non possunt. In dubiis vero, melius esse de nimia benignitate quam de severitate nimia damnari, SS. Patres unanimiter docent. Nostrorum, autem, temporum miseranda condicio [in qua fere ubique adversus christianam observantiam acerrimum, versutum diabolicumque certamen habetur], perquam prudenter in re agendum, ne maiori fidelium portioni detrimentum, potiusquam adiuventum afferatur. *Sacramenta*, enim, *propter homines*.

d) Quoad situm ubi fidelium confessiones excipi possunt, *Ritualis Romanus* nos edocet, nimirum, patenter, conspicuo et apto in loco constituentur confessionales, cum suis hinc inde parvis fenestris, ferrea, seu aptius aenea lamina minutis terebrata foraminibus munitas, ut quin poenitentes videre, facile, tamen audire possint. Huiusmodi vero fenestris ostiola lignea, munita repagulis, introrsum adhaereant, quibus uno poenitente dimisso, ostiolum a sacerdote claudi perfecte possit. Ne autem sive ex faciei, sive ex manuum, sive ex quocumque alio corporis

<sup>1</sup> *Psalm.* CXXXVI, 1.



motu, aliquid ad confessionem pertinens arguere quis possit, bina majora alia ostiola lignea, vel opportunas cortinas adeo usque ad sedis ostium descendentes ut superior confessoris pars obtegatur, ponere oportet<sup>1</sup>. Generatim vero confessionalis sedes adeo conficienda, ut dum, comoda ratione, in genuflexoriis sistant poenitentes, aliorum confessiones nil audire valeant. — Surdis pro mulieribus quamdam ad hoc peculiarem, nuperrimis recensitis omnibus praeditam, abdito tamen tutoque in loco, sedem constituere oportebit. — Mulieres et puellae, etiam impuberes, ad Ecclesiae confessionales semper audiuntur: homines vero, saltem ex consuetudine, et in sacristia confessionem peragere possunt. Rationabili vero de causa [uti physica est infirmitas, vel quaecumque honesta gravisque necessitas] et in privatis domibus confessiones excipere sacerdotes possunt, quo in casu, ad bonum confessarii tutandum nomen, ut cubiculi ostium adeo componatur ut agenda caeteri videant, dicenda vero minime audiant, consulendum videtur. Aegrotanti confessario, feminarum [etsi religiosarum] confessiones prope lectum excipere, numquam licet.

e) Quoad tempus, ut plurimum ac ordinariis in adiunctis, neque ante auroram, neque post solis occasum sacramentales mulierum excipiantur confessiones. Quum vero aliter necessitas suadet [ut magnis in festivitatibus, ac populi concursu occurrere solet] ante confessionalem, vel saltem eius a latere, candela accensa ardeat.

270. — In sacramentalis confessionis administratione confessarii opera huc redit ut patris ac doctoris, medici ac iudicis personam induendo ac officium exercendo, tam sollicite ac prudenter se habeat ut ex poenitentis parte sit *simplex, humilis confessio, pura, fidelis*; — atque *frequens, nuda, discreta, libens, verecunda*; — *integra, secreta, lacrimabilis, accelerata*; — *fortis et accusans, et sit paere parata*<sup>2</sup>. Nimirum:

1. *Simplex*, scilicet, circumstantiis superfluis, ac narrationibus resecatis.
2. *Humilis*, nimirum, tum interna, tum externa animi demissione prolata.
3. *Pura*, idest cum recta intentione peccatorum obtinendi veniam.
4. *Fidelis*, nimirum, veridica.
5. *Frequens*, attentis, nimirum, fidelium qualitate, statum ac dispositiones.

<sup>1</sup> Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 107.

<sup>2</sup> Cfr. *Institutio Pastoralis Eystettens*, n. 212.

6. *Nuda*, scilicet, sine ambiguis ac obscuris verbis.
  7. *Discreta*, nimirum, adeo prudens, ut sua tantum peccata, et maiora maiore cum pondere, confiteantur fideles.
  8. *Libens*, seu spontanea, voluntaria minimeque coacta.
  9. *Verecunda*, scilicet, non de peccatis se iactando, sed de ipsis adeo erubescat, ut verecundis ea exponat verbis.
  10. *Integra*, nimirum, talis qua de his quae quoad speciem, numerum et circumstantias, peccatum mutant, manifestanda veniunt, nil detrahatur.
  11. *Secreta*, scilicet, coram sacerdote tantum.
  12. *Lacrimabilis*, idest, cum vero dolore ac peccatorum detestatione. Nisi, enim, a viis suis malis quis conversus fuerit, et ad iustitiam faciendam cogitationes et opera direxerit, ex mortuo vivus fieri non potest. Unde quando peccator confessionem quidem in ore, sed cordis contritionem in animo non habet, debita sacramenti materia deest.
  13. *Accelerata*, scilicet, ne plus quam necessitas exigit, prolata.
  14. *Fortis*, idest, ut respectum humanum, et noxium confitendi pudorem poenitens vincat.
  15. *Accusans*, videlicet, non excusans, aut naturali indoli vel alteri homini, vel infirmitati peccata adscribens.
  16. *Parere parata*, idest, ad impositam adimplendam satisfactionem, ac ad emendationem oblata media, adhibenda disposita.
- Ad haec a poenitentibus assequenda, in primis et ante omnia, ut perquam multum Pastor adhibeat zelum oportet, quod si in omnibus pastoralis regiminis adiunctis, praesertim in confessionibus audiendis locum obtinet, quo deficiente, sol sine luce, ignis sine calore, navis sine remis, sine aqua flumen, ipse erit. Hac ratione, adeo festinationi quis inserviret, ut et urbanitatem pessumdaret, et confessionis integritas ipsa in magno adduceretur discrimine. Quapropter zeli qualitates alibi recensitas prae oculis habendo, adeo eas ad praxim deducere contendat Pastor, ut, quantum in se est, sacramentalis confessionis finem assequatur. At de hoc satis.

271. — Inter zeli qualitates prudentia primas obtinet partes, qua [ut alibi monuimus<sup>1</sup>] adeo nostris actionibus omnibus modum imponimus, ut agenda non praetermittamus, omittenda minime agamus. Huius vero, in sacramentali confessione prudentiae actus, tripliciter dispesci possunt, nimirum, in confessarii ratione agendi cum poenitentibus, in mediis ipsis suggerendis, et in peculiaribus fidelium circumstantiis adapta-

<sup>1</sup> Cfr. indic., alphabet. *Prudentia, Zelus*.



tione. Igitur: quoad cum poenitenti agendi rationem adeo in universa corporis compositione, actione ac locutione se habeat Pastor, ut omnibus aedificationi, nemini vero offensionem vel scandalo sit. Itaque:

a) Talari veste cum superpelliceo indutus, strophium et manum se et poenitentem interponens, tam attente ac tranquille hunc audiat, ut quae ille [interdum callide] dimidiatis prodit verbis, bene percipiat, quin repetitione vel explicatione opus sit. Nullae, igitur, de re occasiones locum habeant, nicotiani pulveris ne frequens nimis usus, aquam ne sumat, ac, uno verbo, quidquid commoditati suae inservire videatur, sedulo devitabit. Quaelibet, insuper, impatientiae indicia, et omnia quibus nimis dure ac, forsitan, et inurbane poenitentes habentur, cavebit quam maxime. Suspiria, itaque, tacitas murmurationes, mussitationes exclamationesque, quae inopportuna confessarii admirationem poenitenti produunt; sicut, alia ex parte, peccatorum silenter audire elenchum, et una cum poenitentia, nudam absolutionem impertire, quin adhortationes ac salutaria monita praebeantur, haud opportunior recipiendi confessiones ratio erit.

b) Sed et nimis contraria agendi ratio devitanda quam maxime, qua pene infinitis, quae ad rem non faciunt, interrogationibus, exhortationibus disceptationibusque poenitentem fatigando ac obruendo, potiusquam sacramenti integritati, confessarii curiositati inserviri videretur. Si vero, nominatim in salebrosis ac lubricis quibusdam argumentis, diutius quam par est confessarius immoretur, peculiaribus quae ad confessionis integritatem non faciunt, petulanti insistentique ratione, sciscitaret ac, praesertim cum alterius sexus personis, exquisitis ac [ne peiora recolam] urbanitate nimia utatur quis, quantum sacramento irreverentiae, maximo sibi periculo, fidelibus vero gravissimo scandalo esset, nemo non videt.

c) In re, igitur, medium tenendum est iter, quo, confessionis integritatem [nimirum, secundum speciem et peccatorum numerum, cum circumstantiis speciem mutantibus] in quantum fieri potest, tueatur. Confessarius, enim, de his quae ad integram peccatorum confessionem spectant, quae ipsi necessaria sunt ut de peccatorum gravitate iudicare possit, hos poenitentes tantum quos in integritate confessionis deficere, probabiliter ac prudenter censet, interrogare tenetur. Si vero de poenitenti sinceritate ipse dubitat, notum axioma, *credendum est poenitenti tam pro se, quam contra se loquenti* locum obtinet<sup>1</sup>. — In interrogationibus vero habendis ordinariam

<sup>1</sup> Cfr. Noldin, *De Sacramentis*, n. 401.

tantum diligentiam eamque pro poenitentis diversa capacitate, diversam adhibere Pastor tenetur. Ne vero poenitentibus nimis odiosa atque gravis confessio efficiatur, interrogationes moderatae et semper prudentes esse debent. Enimvero, et in hac christiana vitae obligatione solvenda [uti in coeteris omnibus], ita confessarius se habere debet ut, in quantum fieri potest, Domini iugum christifidelibus omnibus leve suaveque reddatur.

272. — Si hae prudentiae leges observentur, nefandi sollicitationis criminis accusationibus difficulter confessarius subiacebit. In magnis, enim praesertim civitatibus impudicas haberi feminas, quae [sub pietatis specie] sacerdotibus pro sacro tribunali sedentibus, versutissimos iniiciunt laqueos, pro certo confessarius teneat, quo ad debitam, praesertim cum feminis, cautelam adhibendam, efficacius ipse suadebitur. Ad rem recolendum:

A. Confessarii qui aliquem poenitentem vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut postea legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus, temerario ausu, habuerint<sup>1</sup>, locorum Ordinario denuntiandi sunt.

B. Huius denunciationis condiciones huc redeunt<sup>2</sup>:

a) Sollicitatio debet esse ad turpia, non vero ad aliud quodcumque peccatum incitare sive marem vel feminam, puberem sive impuberem, ad peccatum secum ipso, sive cum alio committendum; sive immediate, sive mediante quacumque persona, ad peccatum secum patrandum sollicitaret poenitentem nil refert.

b) Sollicitationis crimen certum esse debet, quod non tantum dicto vel facto confessarii certo constare debet, sed etiam veram illud sollicitationem continere certum esse debet.

c) Sollicitationis crimen in confessione, seu cum relatione ad confessionem commissum esse debet. Quare non est denuntianda sollicitatio ullam ratione ad confessionem habens, etsi in administratione aliorum sacramentorum commissa fuerit.

d) Sollicitationis crimen debet esse graviter culpabilis, quod haud haberetur si confessarius ad leves actus inducere intenderet, quo sollicitationis tum denuntiandum peccatum haud ipse committit. In quo notandum *actus leves* vel *indifferentes* per quos confessarius sollicitat, vel ex libidinoso effectum, vel ex prava intentione, qua alium ad grave peccatum pertrahere conatur, in gravia commutari posse.

C. Confessarius cui sollicitationis casus affertur ita se gerat:

I. Num denuntians fide digna persona sit sedulo exquirat, quod si dubitet [quod fere obtinet quum ad faciendam denuntiationem ultro parata est], de criminis atrocitate, et de gravi poena quae falso accusanti infligitur, eam severe admoneat.

<sup>1</sup> Benedict. XIV, Constit. *Sacrament. Poenitent.* 1 jun. 1741; Cfr. Id. *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745; Gregorius XV,

*Universi gregis*, 30 aug. 1622; S. Offic. 20 febr. 1867, 20 jul. 1898.

<sup>2</sup> Cfr. Noldin, *Op. et loc. cit.*, n. 388.



In re adeo versutissimae ac nimis frequentes calumniae habentur, quibus bonum sacerdotum nomen quaedam contaminare contendunt, ut oculos pandere numquam satius erit.

II. An condiciones omnes quae certam denuntiandi obligationem faciunt adsint, confessarius sedulo examinet. Si vero statim de re sententiam ferre minime ipse possit, poenitentem alia die ad se redire jubeat. Si, examine peracto, de vera sollicitatione constet, de obligatione reum denuntiandi poenitentem admoneat.

III. Si persona denuntiare renuat, num causa excusans adsit confessarius inquiret, quae si habeatur, per se, denuntiatio differri, vel etiam omitti potest. Si vero causa excusante cessante, denuntiare velle poenitens promittit, tunc, interim, absolvi potest.

IV. Ordinario loci in quo, scilicet, poenitens versatur, denuntiatio facienda est, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat. Quod si huic Ordinario fieri nequeat, alio confessarii sollicitantis facienda est.

V. Si, absque iusta de causa, denuntiationem facere poenitens renuat, aptis motivis ad eam faciendam inducere ipsum confessarius conetur. Si autem semper ipse recuset, eum non absolvat, sed alio tempore ad se redire jubeat. Interim vero ad S. Sedem [Poenitentiarum, vel S. Officium] recurrat, et suppresso poenitentis nomine, circumstantiis expositis opportunum remedium flagitet. Ne vero confessarius, qui pro poenitente denuntiationem facit, sacerdotem sollicitantem dignoscat, ut ipse denunciatis litteris denuntiatoriis illud inserat, vel ut eius nomen in schedula scriptum involucre iisdem litteris adiungendo tegat, poenitentem inducat<sup>1</sup>.

273. — Si prudentiae leges sedulo ad praxim deducantur, non solum lucri suspicionem, sed et eius quoque umbram, in poenitentiae sacramenti administratione sedulo confessarius devitabit. Idcirco, quantum probandi sint qui in ipsa sede poenitentiali post confessiones, elemosinas, quamvis de missarum celebratione agatur, a fidelibus accipiunt cordati viri dicant. — Ne vero et ex fidelium parte ea suspicio oboriri possit, ne paupertatem vel indigentiam praetextibus in ipsa confessionum sede elemosynas confessores elargiantur, quam maxime suadendi. Si, enim, hanc agendi rationem ipsi sequantur, qui pecuniae tantum ratione sacramentalem confessionem simularent, haud pauci haberentur!

274. — Quoad media ad emendationem utilia poenitenti suggerenda, eiusque circumstantiis adaptationem, imprudentissime Pastor se haberet, si temporis, loci ac personae nulla adhibita cura, quae in se forsitan apta, sed propter circumstantias inepta noxiosaque, poenitenti essent suggereret. Omnia, igitur, cribranda sunt, et praesertim illa personali poenitentis statui propria sedulo perpendenda, ne quae medicina esse debet, in perniciosissimum venenum, tristissime, vertatur. Ad rem physica poenitentis conspersionem, eius praedominantes passiones, physica indoles, familiae relationes ac sociales condiciones, in quantum fieri potest [omni curiositate seclusa] perscrutandae erunt, et in

<sup>1</sup> Cfr. Noldin. *Op. et loc. cit.*, n. 395.

dubiis, generalia potiusquam nimis peculiaria media indigitanda, ne pressius ad rem nimis deveniendo, inepta praebeantur antidota. Ad rem infra.

275. — Tandem in confessionis administratione quae diversa confessarii munia pressius exigant indigitanda sunt, nimirum:

a) Uti Pater, caritate plenus Pastor sit, qua cum sit omnium parens, erga quoscumque, et non erga illos tantum quibuscum lubenter conversatur, vel a quibus lucrum aliquod expectat, promptum se exhibebit. Poenitentes, itaque, indiscriminatim omnes benigne paterneque excipiat habeatque, ac ipsum D. N. J. Christum non iustos, sed peccatores vocaturum venisse, meminerit<sup>1</sup>. Itaque [ut recolimus mox] magna opus est patientia ac caritate; et si quomodocumque poenitentem e letargo excitare necesse sit, attamen nunquam conviciis ac dura ratione agendum, quia gratiae iudicium, non vexationis poenitentiae sacramentum est; non ultionis, sed misericordiae salutare instrumentum. Poenitenti, insuper, exasperationis perturbationisque nulla occasio praebeatur, quae ac eius obserare os idem esset. — In confessionis exitu de suis saepe spiritalibus necessitatibus, gravibus at semper suavibus verbis poenitens edoceatur, quin reprehensionem ab alio quam paterno proficisci affectu suspicari ipse possit. — Ad doloris et propositi actum efformandum Pastor poenitentem adiuvet; contra relapsus salutaria suggerat remedia, et rite dispositum, satisfactione imposita, absolvat. — Si vero absolutionem differre necesse fuerit, die constituto quo poenitens regressurum se promittat, non nisi mansuetis cum verbis, confessarius illum dimittat.<sup>2</sup> Haec tantum agendi ratio Patrem decet, qui, Pater cum sit, horum quae filio prodesse possunt nil omittit; quae vero damnum afferre queant, praetermittit. *Ama et fac quod vis!*<sup>3</sup>

b) Quo Doctor, adeo poenitentem instituere tenetur Pastor, ut instructionibus ac admonitionibus<sup>4</sup>, tam ad confitentis emendationem, quam ad uberiores promovendum in virtute progressum perveniat. Poenitens, enim, de verbo Dei, quod non tantum ex publica cathedra, sed et de sacro tribunali procedit, vivere debet. Quapropter quantum hi qui, tamquam nisi latine loqui didicissent, nullo interposito verbo, utraque manu absolvere festinant, probandi sint, cordati viri dicant. At haec omnia vix devitabit qui, inscitia [in confessario nulla excusatione digna nec venia] laborando, scientia destitueretur necessaria, quo, coecus coecis ducatum praestando, ambo in foveam cadent. Ad rem necesse

<sup>1</sup> Cfr. *Math.* IX, 13.

<sup>2</sup> Cfr. *Instruct. Pastoral. Eyslettens.*, n. 235.

<sup>3</sup> S. Augustinus, *De Trinit.* lib. IX.

<sup>4</sup> Cfr. Lugo, *De Poenitent.* XXII, n. 23 et seq.; S. Alphons. VI, 661.